6



✠

# CONSVLTA, QVE FORMARON los Abogados del Reyno, en el año 1578. ſobre vn Breue de la Santidad de Gregorio XIII. el qual diô motiuo al Fuero de los motus propios del año 1585.



NOTISSIMVM omnibus eſt, literas à Sanctiſsimo Domino noſtro Gregorio, Diuina prouidentia Papa XIII. ad perpetuam rei memoriam, ſub data Romæ apud Sanctum Petrũ 14. Maij anni 1578. publicatas fuiſſe in Eccleſia Metropolitana Cæſarauguſtæ, ac forſan in alijs Eccleſijs, huius Regni, die Dominica, quæ computabatur 15. menſis Iunij eiuſdem anni 1578. per quas fœlicis recordationis Sanctiſsimi Adriani VI. facta conſtitutionis renouatione, & ſtatutorum Ciuitatis Cæſarauguſtæ, mercatores prohibentur, cum anticipatione ſolutionis pretij, frumentum retinere, & reuendere, ſub excommunicationis pœna, ac amiſsionis dicti frumenti: quæ etiam ſpiritualis, & temporalis pœna eos comprehendit, qui excogitatis prætextibus, & cautellis, in dictorum ſtatutorum fraudem, quibus cariorem annonam efficerent, prædictas emptiones exercerent in dicta Ciuitate, & Aragonum Regno; per quas etiam prohibētur contractus, qui vulgo, *quitamenta*, nuncupantur in eodem Regno, exſoluendi ex vino, frumento, & oleo: Et ex Motu proprio quæ per Adrianum ſtatuta fuerunt (vt præfertur) cum cenſuris, & pœnis innouantur, & extenduntur ad eos contractus, *quitamentos*, nuncupatos, & quaſcumque aliàs ſimiles, vel diſsimiles acumulationes frumentorum, & fructuum; & preter dictas iam latas ſententias, & cenſuras innouatas, & extenſas, excõmunicationi, & anathemati ſubduntur, *ac priuationi bonorum quorumcumque immobilium, & iuriſdictionalium, & feudalium*, qui contrauenerint: provt hæc, & alia in dictis litteris latius continētur. *Quaſ quidem (cum primum ad noſtras aures peruenerunt) tam nos quam cœteri Regni accolæ debita cum reuerentia, ET OBSERVANTIA ſuſcipiēdas eſſe decreuimus, * cũ de earũ poteſtate diſputare ſacrilegũ, ambigere hæreticũ, & inſanum eſſe extiſtimemus.* Dolemus tamen vehementer, de rebus noſtris, & legibus prælibatum SS. D. N. Papam Gregorium XIII. plenam non habuiſſe noticiam, vt infra apparebit:

* No ſe diò firma cõtra ellas porque ni ſu Sãtidad haze fuerça, Seſſe *de inhibit. cap.8. §.3. nu.64.* ibi: *Inferiorum inquam dico, vt ſummum Eccleſiæ Præſulem non includamus, cũ vim nũquam ille inferat*, ni haſta eſtos tiēpos ſe ha viſto practicado tal modo de proceder contra eſte genero de Decretos.

bit:ex eo que (vno quod aiunt ictu) ad sublationem legum nostrarum generaliter, vtpote de eis nulla facta mentione,sub generalibus verbis processisse.In re igitur in qua nos legales legum Patroni dicimur, consentaneum,& necessarium esse duximus,maiorum nostrorum vestigijs adhęrere,quibus nulli hominum pietate, & Religione, & debita reuerentia in Sanctam Sedem Apostolicam pręstitere:ob id quę (gratia Dei gloriari liceat) illis,vt de Ecclesia Romana benemeritis, à Sūmis Dei Pontificibus, & Vicarijs,quoties se casus obtulit,benigne aures fuerunt præstitæ,vtpote his qui se paratissimos iudicio eorū stare omnimodo profitentur, & faciunt; quales nostri Aragonij semper fuerunt, qui, vt inter Christianos primi, ita non secundi ad Christi Vicarios pro capiendo suarum animarū consilio confugerunt,& corpora pro fidei defensione,& augmento,& pro Christi Vicarijs libentissimè obtullerunt.His igitur cum vehementer confidamus, nec d.similia speremus à Sanctissimo D.N.Papa (quæ sua est,& sanctitas,& benignitas) eidem supplices preces emittere censuimus,vt cū de rebus nostris iterū plenius fuerit instructus, de legibus nostris pleniori habita notitia,quæ videbuntur opportuna nobis præcipiat,quibus, *vt semper sumus obtęperaturi*.Illudque,vel maximè desideramus,vt SS.D.N. intelligat in cōdendis nostris legibus,Aragonenses à cœteris,qui Regibus subijciuntur differrè:Ex quo enim liberi Regnū suū cœperunt à Sarrazenorum manibus eripere,Regem sub certis pactis,& legibus ellegerunt,consilio,vt traditum est, Romanorum Pontificum, ac conseruato Iudice medio, qui Iustitia Aragonum nuncupatur, legum condendarum simul cum ipso Rege facultatem retinuerunt,& quod est mirabile,cum diuersa inter se Regni brachia sint(quod ex quatuor brachijs constat)Ecclesiasticorum scilicet,Nobilium,Militum,& Infantionum,ac Vniuersitatum Regalium; omnes tamen in vnum conueniunt, & pro communi vtilitate, matura deliberatione,simul cum ipso Rege,leges communes efficiunt, ita vt nemine discrepante ex dictis quatuor brachijs simul cum Serenissimo suo Rege leges constituantur,& publicentur,quas vltimo loco factas,Rex ipse in manibus Iustitiæ Aragonum sub strictissimo iure iurando confirmat,& se seruaturum, ac non venire contra eas, nec permitere per quemquam contraueniri,directè, neque indirectè promittit,& iurat.Hinc factum est, vt cum ex ipsa electione nostræ leges vim contractuū habeant,& Regum iure iurando firmę semper fuerint, Aragonenses suis, Deo, & Regibus fidissimi,amore,nō timore,pro subijciendis Aragonum Regno,alijs, & Sarracenorum,& aliorum Regnis, & facultates, & vitæ pericula, imo, & ipsam mortem appetere non dubitauerint.Quorum facultates cum ex prędictis, & ex qualitate terræ debiliores factæ fuissent, ex Regum nostrorum humanitate, quos optimos maximosque habuimus, fuit Regnum hoc diuersis priuilegijs condonatum, & inter alia eo priuilegio,contractu,& lege,ne ex aliqua quantum vis legitima causa, proscriptio bonorum mobilium,vel immobilium vllo vnquam tempore in legibus nostris reperiatur scripta, imo, nec audita. Cum enim ex bonorum confiscationibus æraria Regum soleant locupleclari, Serenissimis nostris Regibus Aragonum cele-

lebre illud dictum in ore semper fuit,scilicet,*æraria Principum lieni simillima esse,qui si excrescat, cætera corporis membra debilia fiunt.* Cumque Serenissimi nostri Reges cum suo toto Regno vnum corpus semper sint, maluerunt Aragonensium suorum amoris,& fidelitatis incredibilis,quam bonorum suorum diuites esse,quorum bonam partẽ pro debellandis Christi,& Regni sui hostibus vltro , & sępius Aragonenses obtullerunt,& ipsorum bonorũ,& personarum auxilio victores semper gratia Dei extiterũt. Ab eisdem igitur Aragonensibus eo modo quo supra dictũ est,& pro quiete totius Reipublicæ permissi sunt quidam contractus lege maturo consilio condita;& inter alios,contractus ad liberandos ære alieno obęratos populos,qui propterea nomini respondens,*quitamento* , nuncupatur: & illi legi latę Rex ipse,cum quatuor brachijs Regni assensere concordes,pręterea, & Regij Consilij scientiæ,& conscientiæ viri,Ecclesiastici, & sęculares,ac ipsius,& aliarum Vniuersitatũ,Cæsaraugustanæ vrbis Sindici,cuius vt nũc dicitur Procurator,non bene instructus,vt credibile par est, nostrarum legum,nec meminit,nec Sanctitati D.N.Papæ(si sciens ipse fuit) mentionem vllam fecit : & qui meminisse debuit, nos,qui publica totius Regni fungimur repræsentatione,quæ ad totum Regnum vniuersaliter spectant magis in spetie esse cognituros,& si oportuerit( cũ iam iam Serenissimus Philippus Catholicus Rex noster properet Curias celebraturus) ipsos Curaturos cum alijs,vt de his publica in eisdem Curijs lex fiat ; vt fiunt cæteræ, per quam communi Regnicolarum omnium quieti consulatur de communi omnium Regis Catholici,& Ecclesisticorum,& sæcularium consensu,moderato in omnibus contractibus pretio, iuxta Patriæ nostræ ; & hominum mores,cũ abundet vnaqueque Prouintia suo sensu,& alia alijs expediant: Ex quibus , & multis alijs quæ vberius coram Sanctissimo D. N. cum se res feret exponemus,humiliter suplicamus, vt re tota plenẽ perpensa dignetur Dominus noster declarare intentionis,& mentis suæ non fuisse prædictas,& alias leges huius Regni,super prædictis disponentes præfata constitutione Pontificia comprehendere, nec antiquissimam legũ condendarum formam in dicto Regno obseruatam , & benemerita Aragonensium priuilegia,suo contractu,suis bonis,suo sanguine ; & vita coempta tollere, nec contractus à foris nostris permissos reprobare omnino ; & ipsam constitutionem,& contractus factos,& faciendos,tam *quitamentorum* , quam arrendationum,& emptionum,vel aliorum circa Mercatores,& alias personas plenius declarare, *ne Regnicolarum conscientiæ,quæ,vt obedientissimę Deo,& suo Vicario,ita timidissimæ censurarum sunt,sub periculo earũdem,quod maximè instat,diu versentur*.Et ne interim ex taciturnitate aliquod præiuditium dicto Regno,incolisque eiusdem sequutum fuisse dicatur,suplicamus vobis Illustrissimo Domino Petro Cerbuna S. Theologiæ Doctori,ac Priori Ecclesiæ Cęsaraugustanæ , & Vicario Generali Ciuitatis, & Diœcesis Cæsaraugustanæ Sedevacantẽ , vt recipiatis, & admitatis huiusmodi consultationem ad fienes prædictos, & vt ea pendente,effectus dictarum litterarum, pœnarumque , & censurarum in eisdem contentarũ sit,& censeatur suspensus,& iura quæcumque dicti Regni,& Regnicolarũ

eius-

eiusdem remaneant salua, & illesa, omni meliori modo, &c. Requirens de prædictis fieri instrumentum.

Ita suplicandum, & consultationem cum Sanctissimo Domino nostro interponendam consuluimus, qui infra sumus subscripti.

*Petrus Vrgel, Regni Aduocatus.*
*Michael de Aniñon, Regni Aduocatus.*
*Lazarus de Orera, Regni Aduocatus.*

# SEGVNDA CONSVLTA SObre lo mismo, del año 1584.

# BEATISSIME PATER.

CVM primum constitutio Sanctissimi Domini nostri de Annonæ acumulatione in Regno Aragonum ædita est, & summa qua debuit obseruantia, & veneratione suscepta, confestim omnes istius Regni incolas obsequendi studium, *sic in officio continuit, vt eam tamquam, è cœlis emissam complecterentur, mandataque Sedis Apostolicæ ad Reipublicæ vtilitatem esse executioni tradenda, sic cuncti censerent, vt nullus inuentus sit qui fines à constitutione præscriptos transgrederetur, nullus, qui tamquam legis contemptor pœnas subiret condemnatus sit*; hec Dei benignitate factum est, *secundum à maioribus nostris per manus traditam nobis disciplinam*, qua nulli mortales nobis præstiterunt. Nos enim Pater Sanctissime, qui in ipsis orientis Ecclesiæ incunabulis vexilla Crucis, vel in primis ereximus, tot Martyrum sanguine consecrauimus, vt Roma vix gloria æquare nos posit (quod non ad nostram laudem, sed ad Dei omnipotentis gloriam libet asserere) debito cultu, & in Sanctam Sedem obseruantia nullis ab ipso principio concesimus, in tantisque tumultibus & procellis, quibus Orbis concutitur, hæreticis nos circundantibus, & vndique præmentibus, & instigantibus, numquam ab officio desciuimus, & Sanctissimam Sedem summo semper cultu, & honore, vt Christianis necesse fuit, sumus prosequuti.

Vt autem libenti animo noua instituta, quæ nobis imponebãtur ab ipsa constitutione suscepimus, sic melius, experientia rerum magistra, percipere potuimus, an eam vigere, vel à Sancta Sede reuocari expediret; nec alia ratione potuit comprehẽdi, eam constitutionem esse abolendam, nisi quod rebus minutis, & momentaneis, quæ tantũ Popularibus nostris notę sunt, compertum sit, conducere eam antiquari, & abrrogari. Hęc huiusmodi sunt, vt eos qui res non habent occulis subiectas latere necesse sit, nec possint eis esse notæ, qui non solum iura, sed etiam facta nouerunt, quantum-

cum-

cumque ingenij poleant acumine,& excellant dignitate,nisi minimas rerũ occasiones,& momẽta,Patriç mores,& hominum cõsuetudines,in quibus quælibet Prouintia suo sensu abundat,probe caluerint : & nisi experientia nos erudiisset,nos qui in hac Patria,& nati,& educati summus in errorem, & ignorantiam lapsi fuissemus, ex quo mirum non est , si non malo zelo, nec impio,sed minus prouido,factum fuerit,vt multi,& Sanctissimo D. N. & Regi nostro Potentissimo suggererent necesse esse, vt constitutio prędicta ederetur , & confirmaretur, quam omnes Reipublicæ vtilissimam valdè æquam hactenus esse putauimus, & nunc Sanctissimam, & æquissimam esse censeremus , nisi experti essemus,eam corpori istius Reipublicę minus vtilem esse,sicut multa pharmaca,& medicamenta optima,& saluberrima,quę corpori male affecto sæpè,occulta quadam ratione,non prosunt , nec conueniunt,cum in rudibus, & aggrestibus fomentis reperiatur præsentanea medicina.

Subijciemus oculis rationes , quibus quod propositum est conuincamus,benignitate Sedis Apostolicæ innixi,quæ circa factum posse decipi,& facta ignorare nos docuit : hæc adeò sunt Patriæ nostrę peculiaria , vt nedum exteros,sed incolas lateãt,etiam linceos,adeò sunt ex singulis rerum & minutis momentis captanda,vt tantum eorum ratio ab experientia desumenda fuerit,nec aliter percipi potuerit.

Regnum istud Aragonię Pater Sanctissime,vt notissimum est, & vbertate glebæ, & climate Cœli infęlix est,nam salebrosis,& horridis iugis,& montibus est vndique septum , & perpetua fere siccitate,& terræ ariditate damnatum,vixque annus fertilis blanditur, quin plures steriles consequantur , & nisi necessitas nos compullisset , vt ab artificio irrigandi agros,non sine magno sumptu,& labore, subsidia nobis pararemus,pauci essent Coloni,terraque inculta,& deserta iacuisset: oræque nos circunstãt Cathalonia,Valentia,& Cantabria,& à Galia,Biarnensis,non minus infecundę sunt.

Hinc succedat necesse est , quod si annus aliquis fertilis nobis arrideat, cum exteri nulla constitutione contineantur,quin possint frumenti,& annonæ accumulationi insistere, quod nobis vetitum est, vt ipsi nostris oppibus nos spolient,exinaniant,& depopulentur,ex quo prohiberi nõ possunt, cum ea sit locorum conditio,& natura , vt nec custodibus, nec pœnis possint ab extrahendo frumento prohiberi in tanta terræ vastitate , & longitudine , in tanta hominum licentia, & necessitate , qua ad grassandum in viscera nostra compelluntur.

Cum etenim agricolæ nostri necesse habeant frumentum vendere , & non reperiantur emptores,cum deficiant granaria , quia nemo potest seruando frumento vacare , exteri,bonis nostris inhiantes,multo cum maiori iactura id coacerbant,& anno sequenti sterilitatis cum incredibili detrimento compellimur esurire , & vt euitetur damnum, ne coaceruato frumento eius pretium augeatur,succedit maius , quia in sequentibus annis non reperitur;ex quo experti summus commodius esse , vt Mercatores id congerant.qui quantumcumque crudeles , & inhospitales,proprijs tamen necessitatibus vrgẽtibus,vẽdere compellentur, quam si cumuletur ab ex-



te-

teris,& in Regno frumentum non reperiatur, vt anno præsenti, non sine magna Reipublicę clade, videmus contigisse; aut necessitate adigamur ad exteras regiones pro eo advehendo confugere: quod tanto fit peiore cum nostra conditione, quod nullum habemus cum locis maritimis comertiũ in meditarraneis circumsessi,& constituti, vt si frumentum sit nobis asportandum, vectigalium,& gabellarum ratione, incredibilis caritas consequatur,& maxima ad conuehendum difficultas.

Ad hoc accesserunt,& alia quæ in magnam Reipublicæ perniciem consecuta sunt: multi etenim ex agricolis in anno fertili, qui alienis vendere non potuerunt, cum per constitutionis prohibitionem nemo emeret ab eis à colendis agris destiterunt; eo quod eis ea subsidia,& instrumenta deficerent, quæ ad id necessaria sunt: non enim potuerunt pauperculi,& misseri homines debita, cum essent obærati, dissoluere, Boues emere, famulis,& ministris mercedem, & salaria impendere; cum si aliqui emerent ab eis in tanta fertilitate, cum frumentum nõ possit accumulari, esset pretio vilissimo,& cum iactura misserorum hominũ, qui plus impenderant: nisi peregrinis venderetur, vel illis qui extra Regnum defferre cogitabant; & ita cedit totum hoc negotium, si pœnitus inspitiatur, in vtilitatẽ exterorum.

Solebant Mercatores in hoc flexu caritatis pro emendis mulis, & alijs ad culturã necessarijs mutuo pecunias Agricolis dare, concessa facultate, vt frumentum soluerent; cum, nec Mercatores possint, huiusmodi contractus, vetante Canone, inire, nec Agricolæ etiam possint ita contrahere destituti hoc subsidio, quo suis necessitatibus consulebant, necessario subsequutum est, vt homines tenues, & misseri à colendis agris, cui rei maximè intendere debebant, abstineant,& ad vsuras, & impotturas prauorum hominum, quibus tamquam coniculis opugnantur, perferendas se conuertãt, & voracissimorum hominum lucris immanibus, & calumnijs subiaceant, & ceruices submittant.

Accedit ad hoc, quia Mercatores cũ Agricolæ, nequeant frumẽtum eis soluere, vel ipsi saltem Mercatores coacerbare ex conductionibus, & contractibus; quos inibant cum Nobilibus,& Dominis vasallorum, cum cesset eorum vtilitas, nollunt Agricolas subleuare in eorum extrema necessitate, quod ante faciebant, quia eis expediebat Agracolas diligenter agros coluisse, & non sperent, nisi frumentum eis soluatur, aliter posse à misseris hominibus debita, quibus obstricti sunt dissolui, circa, quod, ne vlla fraus contra misseros Agricolas posset ad eos excoriandos excogitari, Domini, & Concilia salubriter solent cauere, vt eo pretio ipsis Mercatoribus soluatur, quo, tempore solutionis communiter ęstimetur;& ita à Concilijs,& Dominis solet salubriter prouideri.

Hæc sunt difficultates, quibus Regnum istud arbitratur, ex cõstitutionis editione lędi, propter vetitam frumẽti nimis rigide accumulationem, quę non à Regno, imo inscijs Regni statibus, à Ciuitate Cæsaraugustæ obtenta est. Nos autem hęc mala primo sensisse,& vel imprimis fidem nobis adhibẽdam censendum est, quod à Rege nostro Inuictissimo & Regni quatuor statibus, ad Regni tutellam Curatores constituti cuncta rimari necessariũ fuit, & ad quos homines cuiusque conditionis opportunum fuit cum suis

que-

querellis confugere. Nos autem, vt commodius singulorum voces posimus intelligere, & exaudire in totius Regni locum subrrogati, ex omnium hominum genere electi sumus, nam pro Ecclesia vnus Præsul, & alius Ecclesiasticus ex Capitularium clase præssunt, similiter fit in Nobilibus, duo etiam Milites præficiuntur, duo etiam ex Ciuitatibus, & oppidis, & pro hominibus inferioris conditionis, inter quos est vnus pro Ciuitate Cæsaraugustæ.

Cum auctem Pater Sanctisime, *non sit alius sub Cœlo, à quo in nostris difficultatibus auxilium petamus*, & de mente. S. suę esse censeamus, eaque ad nostram vtilitatem sanciuit, si imperniciem conuerti repererit, velle ea tolli, & abrrogari, Regni istius incolę humiles S. suæ Creaturæ, duximus suplicandum, dignetur hanc constitutionem abolere, vsque ad prima comitia, in quibus Rex noster Inuictisimus, vna cũ statibus Regni conueniet, & vbi ea, quæ rebus bene perpẽsis, & ad oculum subiectis, constitui poterunt sancientur, & palpabuntur, pœnisque opportunis decreta poterũt roborari; cum præsenti necessitati posit consuli, si in duobus prędicta constitutio inuiolata permaneat, vt quitamenta rerum certarum tollantur, nec emptiones fiant, vt frumentum reuendatur: quod eo, vel maximè confisi facimus, quod ab hominum memoria, nunquam reperimus in corpore istius Reipublicæ, tantam ortã infirmitatem, quantã ex hac, si non esset male affectũ, præstantisima medicina orta est difficultatis, & penuriæ ratio.

Derogari etiam prędictæ cõstitutioni, vel ex eo etiam optaremus, quod à mente S. suæ alienum esse arbitremur, ea quę Inuictisimi Reges Aragoniæ perpetuo edicto sanxerunt, & in Regni istius fidisimi libertatem, & fauorem concesserunt, circa pœnam proscriptionis non imponendam, voluisse nobis à S sua per dictam constitutionem abrrogari, imo eius benignitati consentaneum putemus, & intẽtioni, si opportunis gratijs, & prærrogatiuis Regnum istud erga S. Sedem obsequio, & obedientia nulli secundum prosequatur.

Cum autem coram D. N. supplicare nõ posimus, & iustas nostri doloris eo præsente quærellas exponere: coram te Ecclesię Cæsaraugustanæ Antistite nostro meritisimo, & Illustrisimo supplicãdum duximus: speramus, etenim, & vehementer confidimus, pro tua eximia integritate, & prudentia, & gregis tibi commisi cura, in qua excellis, te interprete, & auctore preces nostras, coram Sanctisimo D. N. debito cursu, ad fines optatos esse perducendas, & votis nostris exitus fœlices esse consequuturos, quod vt facias nomine incolarum totius Regni tuorum, Deputati eiusdem te etiam atque etiam humiliter depræcamur, qui magno, & cumulato beneficio nos afficeres, si tibi videretur, *vt constitutionis executio differatur, donec à te S. D. N. de rebus nostris certior fiat, & consulatur, & ad eius aures preces nostræ perferantur*, quibus eum, pro sua summa Iustitia, & benignitate confidimus assensurum.

*Ioannes de Ribas, Aduocatus prædicta vidit, & ordinauit.*
*Ioannes Romeu causę præsentis, & Regni, Aduocatus ordinauit.*
*Petrus Ludouicus Martinez, Aduocatus ordinauit, & subscripsit.*
*Ioannes de Bardaxi, Aduocatus ordinauit.*
*Hieronymus Villanueua, Regni Aduocatus prædicta ordinauit.*
*Matheus Deza, Regni Aduocatus, & causæ præsentis ordinauit.*